

*Lay. Part. N.* non « Nobilissima civitas florentina, que ab auctore (?) nomen accepit, que scripto iure florentissima nuncupatur, haedificata fortunatis auguriis, patrum est hic usque secuta vestigia, qui frena tenentes orbis, collectabantur excellentioribus privilegiis, quos enim creatione illa florentissima, filios appellant; directo nullos, nisi revera Florentia, quoniam cum fuerit os de ossibus suis, nomen partita est cum eadem. Oportet igitur quod est prescriptum longissima prescriptione defendere, et magis expedit pati periculum personarum et rerum incommodum et defectum, quam tam floridum nomen operibus vilibus offuscare. Vobis igitur districte precipimus, quatinus, cum certi sitis quod vobis iura non prosunt, quae lata sunt in commodum singulorum, quando paces et iuramenta franguntur, que fine (*finis?*) sunt omnium causarum; preparari vos velitis ad bellum, non in corde trepido irruentes in rebelles, nec pugnantes quasi verberantes aerem, sed etiam dentibus, si deficerent arma, mordentes eosdem, et quisque primus esset, procuret in opere, et pondus diei et estus portare non dubitet, sciturus, quod non pari sed excellentiori ditabitur munere, quam qui iam advesperascerit, ingreditur ad laborem ».

*Lay. Part. M.* Mense igitur quo spicie incipiunt emittere grana, Florentini, victorioso preambulante carrocio, comitatum intraverunt senensem, et partem eius devastarunt destruendo castella, silicet hec (1).

*Dura Part.* Et appropinantes civitati, ascenderunt montem qui vocatur Vicus, supereminente civitati, ab eadem quasi per miliare distantem; et castrametati sunt circa illum, carrocio in sumitate manente, quod adorare vere potuere rebelles, et eiusdem figuras agnoscere. Nec contigit eis sicut consideranti vultum sue nativitatis in speculo, qui statim obliiscitur qualis est, sed memoria eius in mente cuiusque fixa, non nisi morte illo tempore preteribit. Construxerunt enim senenses ante portam que dicitur Camollia, ut iter ad eam esset inimicis agrestius, quasi castrum, quod novo nomine in perpetuum appellabatur Castellacia; quod futurum erat certissime divinantes: et apponentes manganos circa illud, munierunt ipsum undique foveis et ligneis hedificiis.

*Cap. Part. M.* Interim cum turrim in strata Francigena sitam incidenter florentini; ecce senenses facientes quoddam penitus incivile, eiecerunt de opere operarios, turpiter remunerantes eosdem. Florentini vero scientes non expedire differre, nec esse utile periculum incurrire propter moram, in ictu, non expectantes novissimam tubam, armis induiti insurrexerunt adversus eos, et defendantes captos, quos senenses ceperant ad predictam turrem, per vim cessaverunt ipsos a loco: et licet durasset per diei partem fortissimum bellum; acie tamen superveniente militum ultima, que pisanorum, marturienium et ceterorum militum qui venerant in auxilium, in bellum prestolabantur ingressum; conversi sunt senenses in fugam ultra quam ve, ve reportantes, et credentes in ipso quasi castro in subsidium posse reverti, sunt ex eis capti duo milia trecenti, et ingressum cum esset iam occupatum, sunt plures occisi. Fuit enim quasi civitas capta; quod per vexilliferum illustris comitis Guidonis et socium eius liquet, qui civitatem intrantes, capti remanserunt bellantes in eadem: pietate civitate[m] denegante florentinos intrare, non respiciente superbiam, que cum sit omnium malorum index, principium indiscretum querit, producens processum valde dampnosum et vituperabilem exitum.

(1) Qui sono nel Ms. tre versi bianchi. Il Villani dice che l'oste de' Fiorentini, valicata Siena, andò a S. Quirico in Osenna, al Bagno a Vignone, e per la valle d'Orcia fino a Radicofani: poi passò nella Valdichiana per dare il guasto alle terre de' Perugini.